



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE VERBO DEI|| scripto & non scripto,|| QVATVOR LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, 1599

VD16 B 1607

VI. Idem ostenditur testimoniis Pontificum & Conciliorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53828](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53828)

CAPVT VI.

Idem ostenditur testimoniis Pontificum & Conciliorum.

AD LOCA Scripturarum addemus pauca quædam veterum sanctorum Pontificum & Conciliorum testimonia. Ac primùm, S. FABIANVS Papa martyr in epist. 2. ad Episcopos Orientis, postquam docuerat singulis annis sacrum chrisma renouandū esse, ita subiunxit: *Ista à sanctis Apostolis, & eorum successoribus accepimus, vobisq; tenenda mandamus.* Hæc ille. Entè de chrismate renouando nihil in sacris literis legimus.

S. INNOCENTIUS I. in epist. 1. quæ est ad Decentium instituta, inquit, *Ecclesiastica, et sunt à beatis Apostolis tradita, integra & vellent seruari Domini sacerdotes, nulla varietas in ipsis ordinibus, & consecrationibus haberetur.* Hæc ille. Vbi de traditionibus non scriptis agit, ac præsertim cum docet, Confirmationem etiam paruulis conferendam & à solo Episcopo, & sub certa forma verborum. Atque ad non scriptas eiusmodi Apostolicas traditiones esse testatū vt nec in ea epistola formam illam verborum adscribere conluerit: *Verba, inquit, dicere non possum, ne magis præsumere, quam ad consultationem respondere.*

S. LEO I. serm. 6. de Quadragesima: *Apostolica, inquit, institutio, quadraginta dierum ieiuniis impletur.* Et serm. de ieiunio Pentecostes: *Dubitandum non est, dilectissimi, in omnem obseruantiam Christianam, eruditionis esse diuina quidquid ab Ecclesia in consuetudinem est deuotionis scriptum, de traditione Apostolica & de sancti Spiritus prædictæ doctrina.* Vide etiam serm. 8. & 9. de ieiunio septimi mensis.

IAM VERO Concilium antiquissimum & celeberrimum NICAENVM I. ex doctrina non scripta damnauit hæresin Arij, vt disertè testatur Theodoretus lib. 1. hist. cap. 8. *Armen quædam Scripturæ poterant adferri contra Arium, tamen quia Arius etiam proferebat Scripturas, ex doctrina non scripta, sed tradita, per manus Patrum sibi in Ecclesia fuerant adhibentium, eum damnauerunt.*

NICAENVM II. act. 6 tom. 4. *Quod autem, inquit, cum multis aliis, quæ in Ecclesia obseruantur sine Scriptura, nobis in*

ginum Veneratio tradita sit, ab Apostolorum temporibus late per historias traditum est. Et act. 7. in fine sic habet: Si quis traditionem Ecclesie, siue scripto, siue consuetudine & valentem non curauerit, anathema sit. Idem repetitur in Concilio VIII. generali, act. 8. Et post, act. vlt. canone 1. profitentur Patres, seruaturos omnes traditiones, non solum Apostolicas, sed etiam Ecclesiasticas. Ex quo mirum videri non deberet Lutheranis, si tale aliquid etiam docuit Concil. Trident. sess. 4. nihil enim noui statuit.

CAPVT VII.

Idem probatur ex Patribus.

ACCEDANT nunc testimonia Patrum Græcorum & Latinorum, qui incredibili consensione hanc veritatem docent. Ac ut à Græcis incipiamus. *Beatus Ignatius* apud Euseb. lib. 3. hist. cap. 36. hortabatur omnes, Apostolorum traditionibus tenacius inherere: Quas traditiones, inquit Eusebius, cautela gratiæ etiam scriptas se asserit reliquisse. Hæc ille. Ex quo sequitur, eas ab Apostolis scriptas non fuisse.

Patres Græci.

Ad hoc testimonium nihil respondet Hermannus, nisi non extare ista scripta Ignatij. At falsum est, non extare. Scribit enim Hieronymus in libro de viris illustribus, Ignatium scripsisse epistolam ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphenses, ad Smyrnenenses, ad Polycarpum, quæ omnes nunc extant, & in eis inuenimus ieiunium Quadragesimæ, ordines minores, diem Dominicum, & alia quæ non sunt in Scripturis, & tamen ab Apostolis sine dubio Ignatius didicit.

Dionysius Areopag. cap. 1. Eccl. hierarchiæ: Primi illi, inquit, nostri sacerdotalis muneris duces summa illa, et substantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis nobis tradiderunt. Ad hæc & similia respondere solent Lutherus, Calvinus, & ceteri, libros qui nomine Dionysij circumferuntur, non esse Dionysij. At citantur opera hæc nomine Dionysij Areopagitæ in VI. VII. & VIII. Synodo generali; item à Gregorio I. in homil. de centum ouibus; à Martino I. in Concilio Romano; & ab Agathone in epistola ad